



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale, sev Institutio Sacerdotum, Ex Divinis Litteris Et Veterum Patrum Disciplina**

**Torres, Alfonso de**

**Ingolstadii, 1604**

III. De ornatu, & munditia exteriori; de communibus incumentis  
Sacerdotum domi, forisque. §. I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)

## CAPVT III.

DE ORNATV, ET  
MUNDITIA EXTERIORI,  
DE COMMVNIBVS INDVMENTIS  
SACERDOTVM DOMI FORISQ.

DE GRAVITATE, ET  
SEVERITATE IN MORIBVS  
ET VERBIS:

DE SVAVITATE IN  
VERBIS, ET BENIGNITATE:

DE GESTV, RISV,  
INCESSVQVE, ET EXACTA  
TOTIVS EXTERIORIS HOMINIS  
COMPOSITIONE.

*De Ornatu, & Munditia exte-  
riori, de cōmunibus Indumentis  
Sacerdotum domi forisque. §. 1.*

## SUMMARIVM.



MICTVS, risus, & gestus iudicant ho-  
minem. 1.

Mollibus vestiri non debēt Sacerdotes, quo-  
rum verus ornatus sunt mores boni. 2. 3.

Debent

Debent tamen vti vestibus proprio ordini congruentibus, non nimis vilibus, nec nimis pretiosis, iuxta morem Prouinciæ. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

Nec sordibus, nec munditiis notabilibus, exemplo S. Augustini. 9. 10.

Quæ tamen sordes, & munditiæ affectari non debent. 14. 15. 16. 17.

Nam nitens cutis sordidum animum ostendit. 18.

Munditia tamen exterior esse debet, & qualis 19.

Vestis inuenta est ad operiendum corpus, & propulsanda eius incommoda. 4. 5.

Ideo sollicitudo Sanctorum semper versata est potissimum circa interiorem hominem componendum, exterioris superfluo ornatu spreto. 6. 13.

Quot vestes possit Sacerdos habere. 8.

Superpelliciis vti debet in Ecclesia, & qualibus 20.

Et habere coronam & tonsuram congruentem, & caput in modum spheræ radere, neque comam mutire, idque ab ipsis primitiua Ecclesiæ exordiis. 21. 22.

23.

Ab illoq; tempore clerus Occidentalis barbam radere consuevit. 24. Contrarium tamen seruat Orientalis Ecclesia. ibidem.

**A**MICTVS corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiat de illo. Eccl. 19.

Quid existis in desertum videre? hominem mollibus vestitum? ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Matth. 11.

Verus

**Verus ornatus Sacerdotis, mores boni,**

- 3 VERVS ornatus Sacerdotis, non tantum nullus fucus mendax, sed nec auri quidem vestisq; pompa, sed mores boni sunt. *S. Augustinus de cons. dist. 5. c. fucare.*

**Vestis inuenta ad operiendum corpus, & incommoda corpori imminetia propulsanda.**

- 4 NECESSARIO ad vtramque rem accommodatus esse vestimentorum vsus debet, vt per ea scilicet & corporis deformes partes obtegantur, & quæ à cæli inclementia afferuntur incommoda propulsentur, &c. Eiusmodi vero quoddam nobis vestimenti excogitandum est genus, quo ad omnia commode vti possimus; vt videlicet eo amicti, & diurnæ pariter honestati, & nocturnæ etiam necessitati faciamus satis, &c. *S. Basilius in reg. fus. interrog. 22. Scopus autem vestis vnus est, nimirum, vt sit operimentum carnis commodum aduersus hyemem & æstatem. Idem oratione 17. de humilitate.*

**De eodem.**

- 5 AMICTV simplici vtere; non ad ornandum, sed ad necessitatem; non vt mollitiei studeas, sed vt hyeme calescas, & corporis ignominiam contegas. Neq; tamen, prætextu isto tegendæ turpitudinis, superfluis vestibus in aliam turpitudinem, incidas. *S. Cyrill. catech. 4.*

Solli-

**Sollicitudo Sanctorum semper versata est circa interiorem hominem componendum, exterioris superfluo ornatu spreto.**

OMNIS cura Sanctorum, spreto ornatu cultuq; & superfluo, exterioris sui hominis, qui certe corrumpitur, omni se diligentia præbet & occupat excolendo, atque de interiori illo, qui ad imaginem Dei est, & renouatur de die in diem. *S. Bonan. in Phar. l. 4. c. 37. ex S. Bernardo super Cantica.*

**Vestis Sacerdotalis qualis, & in ea & seruandus modus: vt nec nimis vilis, nec nimis sit pretiosa; non nimis breuis, nec nimis longa.**

PARSIMONIAM cum veste humili non reprobamus, sicut etiam ornatum præter corporis diligentiam infucatum laudamus; dissolutos autem & fractos in vestibus incessus non recipimus. *Concil. Gangrense, dist. 41. c. eod. vestimenta tua & calciamenta nec nimis sint pretiosa, nec multum vilia, sed ex moderato & competenti habitu, &c. S. Bernardus serm. 9. de modo bene viuendi. Clausa tamen defer indumenta, nimia breuitate, vel longitudine non notanda. Innoc.*

*3. de vita, & hon. cler.*

*cap. pen.*

De

De eodem ; & quot vestes possit Sacerdos habere.

- 8 SIT habitus Sacerdotis humilis, non nimis vilis, nec nimis pretiosus, sed mediocriter honestus, sine omni curiositate, longus, & amplus; ne forma corporis more sæcularium appareat foris. Potest autem duplicem vestitum seruus Christi habere, vnum meliorem pro diebus festiuis, alterum deteriorum pro diebus ferialibus. *Concil. Hildesem. in form. viii. can. c. 16.*

Vestis nec sordibus, nec munditiis notabilis, iuxta morem Prouinciæ.

- 9 EXCEPTA vili tunica, & operimento pari, quo tecto tantum corpus frigus excluderet, nihil sibi amplius reseruauit Nepotianus. Cultus ipse, prouinciæ morem sequens, nec munditiis, nec sordibus notabilis erat. *S. Hieron. ad Heliod. in Epitaphio Nepotiani. S. Bonau. in speculo discip. particula 3. ca. 8.*

De eodem, exemplo S. Augustini,

- 10 LEGITVR de S. Augustino, quod vestes eius, & calciamenta, & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum: medium tenebat, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinans. *Concil. Aquisgran. c. 124.*

Clericus, iuxta morem Prouinciæ, sit habitu & incessu compositus.

CLERICVS professionem suam habitu & incessu

cessu probet, & ideo nec vestibus, nec calceamen- **11**  
 tis decorem quærat. *Concil. Carthagin. dist. 41. c. eod.*  
*Vnde Gratianus dicit ibi: Sicut in cibis mores eorū, cum*  
*quibus viuimus, seruare monemur, sic & de indumen-*  
*tis intelligendū est. Vt enim alibi dicitur: Quisquis con-*  
*temptis iis, & c. vt sup. c. 2. §. 1. de sobrietat. n. 24. & 25.*

**Clericorum habitus sit proprio ordini  
 congruens.**

**E**T S I habitus non facit monachum, oportet **12**  
 clericos vestes proprio ordini congruentes sem-  
 per deferre; vt per decentiam habitus extrinseci  
 morum honestatem intrinsecam ostendant, & c.  
*Concil. Trident. sess. 14. c. 6.* In hunc sensum scripsit  
 Alexander Papa VI. Francisco Ximenio Cardi-  
 nali Toletano, quæ sequuntur: Sancta, & vniuer-  
 salis Ecclesia, sicut te ignorare non putamus, ad  
 instar cælestis Ierusalem, multis ac diuersis deco-  
 ratur ornatibus: in quibus sicut in excessu præua-  
 ricando peccatur, ita in defectu nimium decli-  
 nando erratur. Grata est Deo, & laudabilis cuius-  
 libet status condecens obseruantia. Et propterea,  
 quicumque, præsertim Prælati Ecclesiæ, sicut in  
 moribus, ita & in habitu & incessu studere debêt,  
 ne nimio fastu suberbi, neue nimia abiectioe su-  
 perstitiosi esse videantur; cum vtroque auctoritas  
 Ecclesiasticæ disciplinæ vilescat. Eam ob rem hor-  
 tamur te, vt, postquam te sancta Sedes Apосто-  
 lica de inferiori statu ad Archiepiscopalem di-  
 gnitatem euexit, quemadmodum te in interiori  
 con-

conscientia secundum Deum viuere intelligimus; ita extrinsecus, iuxta condecenciam status tui, habitu scilicet, familia, & cæteris ad dignitatis decorem conuenientibus te habere, & obseruare coneris. Datum Romæ, die 15. Decembris anno 1495.

## De eodem.

- 13 QVAM turpis putanda est in clericis tanto gradu sublimioribus deformissima illa, ac frequentissima nostræ tempestatis habituum variatio, quam nec infirmiori quidem vasculo Apostolorum Principes permittendam duxerunt? Ex veste
1. Ti. 2. 1. Pet. 3. apud homines sanctimonix opinionem aucupari prohibuit Christus, qui in omnibus operibus nostris id, quod intus est, primum respicit, mundarique iubet; deinde quod foris est. Vt illud horrendum Phariseis interminans, qui, vt viderentur ab hominibus iusti, dilatabant phylacteria sua, & magnificabant fimbrias, cum essent intus pleni
- Mat. 23. rapina, & immunditia. Euangelium non temere vestimentum Ioannis Baptistæ, (quod illius professioni, ac menti resondebat) de pilis camelorum contextum celebrat; ac ipse Christus vestium
- Mat. 11. molitiem, ac lenitatem auersatur: Ecce, inquit, qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Quæ omnia huc spectant, vt velimus clericos, præter indictam tonsuram, vestes quoq; suo ordini congruentes deferre, vt in Concilio generali cautum est. *Concil. Colon de vita clericorum. c. 26.*

Affecta-



**Affectatæ sordes, & exquisitæ munditiæ  
fugiendæ.**

**PANNOSI** clerici, ac vestibus laceri displicent: 14  
neque enim affectatę sordes, aut exquisitæ deliciæ  
laudem pariunt. *Idem. Concil. Colon. ibidem. ex S. Hieron. ep. 22. vbi non, Deliciæ laudem pariunt, legitur; sed, Munditiæ Christiano non conueniunt.*

**De eodem.**

**HABITVS** tuus non sordens, sed honestus. s. 15  
*Basilius sermone de Ascet.*

**De eodem.**

**ORNATVS**, vt sordes, pari modo, fugiendæ 16  
sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam re-  
dolet. *S. Hieron. ad Nepotianum.*

**De eodem.**

**VESTIS** nec satis munda, nec fordida, & nulla 17  
diuersitate notabilis; ne ad te obuians turba con-  
sistat, ne digito demonstreris, &c. *S. Hieron. ep. 22. ad  
Eustochium, de custodia virginitatis.*

**Nitens cutis sordidū ostendit animum.**

*Idem. S. Hieron. ep. 47.*

**De munditia exteriori.**

*Vide sup. c. 1. §. 1. de sanctitate, Et lauabat. n. 16.*

**De superpelliceis.**

*Vide sup. p. 1. c. 6. §. 1. de horis canon. Horas canoni- 20  
cas dicturi, n. 12.*

X

Cle-

**Clerici habeant coronam & tonsuram congruentem.**

21 Coronā & tonsuram habeant clerici congruentē, & se in officiis Ecclesiasticis & aliis bonis studiis exercent diligēter. *Innoc. 3. de vita, & hon. cler. c. pen.* Coronam habent clerici ab ipso S. Petro, & ab ipsa primitiua Ecclesia: & quid significet.

22 CLERICI sunt Reges, id est, se & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent: & hoc signat Corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum Regni, quod in Christo expectatur. Rasio vero capitis, est temporalium omnium depositio, &c. *S. Hieron. 12. q. 1. c. duo sunt. S. Isidorus de off. Eccles. lib. 2. c. 4. S. Gregor. Moral. l. 26. c. 21. Aliam rationem adducit Ven. Beda: Neque ob id tantum, inquit, in coronam attondemur, quia attonsus est ita Petrus; sed quia Petrus in memoriam Dominicę passionis ita attonsus est: iccirco & nos, qui per eandē passionem saluari desideramus, ipsius passionis signū cum illo, in vertice, summa videlicet corporis nostri parte, gestamus, &c. Ven. Beda de gestis Anglo. l. 5. 122. Catechismus Romanus de Sacramento Ordinis.*

De eodē & quod clerici comā non nutriant, sed caput in modū spheræ radant.

23 PROHIBETE, fratres, per vniuersas regionum vestrarū Ecclesias, vt clerici, qui laicis, & simplicibus virtutis, honestatis, pudicitia, & grauitatis exempla

empla esse debent, ac se ipsos tamquam signa purioris vitæ rudioribus ad imitationem prudenter exhibere, iuxta Apostolum, comam non nutri-

1. Co. ix.

ant, sed desuper caput in modum sphaeræ radant. Quia, sicut discreti debent esse in conuersatione, ita etiam tonsura, & omni habitu discreti debent apparere. *Anicetus Papa ep. ad Gallia Episcopos, dist. 23. c. eod. De quo vide Decretū Concilij Toletani. 4. c. 41*

**Clerus Occidentalis ab ipsis Ecclesiæ primordiis barbam radere consuevit.**

NOLVMVS prudentiam tuam moleste accipere, 24  
quod Archiepiscopum vestrū consuetudini Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, matris omniū Ecclesiarū, vestraeq; specialiter, obedire coëgimus; scilicet, vt, quemadmodum totius a Occidentalis Ecclesiæ clerus ab ipsis fidei Christianæ primordiis barbam radendi morem tenuit, ita & ipse frater noster Archiepiscopus vester raderet. Vnde eminētię quoq; tuæ præcipimus, vt, ipsum ceu pastorem, & spirituales patrem suscipiens, & auscultans, cum consilio eius omnem tuæ potestatis clerum barbas radere facias, atq; compellas; resq; omnino renuentium, nisi demum consenserint, publices, id est, iuri Caralitane Ecclesiæ tradas; & ne vltorius inde se intromittant, constringas. *Grego. Papa vij. lib. 7. Reg. ep. 10. ad Iudicem Caralitenum.*

a Ecclesiæ Oc-

cidentalis clerus) hic aduertere est, morem contrariū Ecclesiæ Orientalis barbā non incidendi forte sumpsisse originem ab illa S. Clementis constitutione, vbi, fidelis cū sis, inquit, & homo Dei, non licet tibi nutrire capillum,

X 2

&amp; in

Et in vnum complicare, quod est delicatum, Et molle, vel discerniculo discriminare, neque vero in tortum calamistris crissare, vel flauum facere: quoniam quidem

**Leu. 19.** lex vetat in Deuteronomio, inquit: Non faciatis vobis rotunditatem ex coma capitis vestri, neque incisiones. Neque vero licet barbæ pilos corrumpere, neque hominis figuram præter naturam mutare. Non incidetis

**Leu. 21.** (inquit lex) superficiem barbæ vestræ. Hoc enim mulieribus decens creator Deus statuit, viris indecorum esse iudicauit. Ita S. Clemens Const. Apost. lib. 1. cap. 4. Vide Clementem Alex. Pædagog. l. 3. Alia multa Vide inf. p. 3. c. 89. ne profanis vestibus.

## De Gravitate, Et Severitate in moribus Et verbis Sacerdotum.

§. II.

### SUMMARIVM.



SACERDOS exteriori gravitate debet esse compositus, quia eius dignitati maxime congruit. 1. 7.

Et magno cum imperio, Et velut ex Regia potestate comprimere vitia, Et viros iniquos, Et tumidos, Et eos, qui à religione abhorrent, Et voluptatibus indulgent. 2. 3. 5. 13. 14. 15. 21.

Et fecit S. Ambrosius aduersus Theodosium Imperatorem. 20.

Et S. Thomas aduersus Henricum Regem. 21.

Et ita se gerat Sacerdos, ut, licet sit adolescens, non contemnatur. 4. 5.

Ob idque nemini se nimium familiarem exhibeat. 11. 12. 22. 23.

Nepuerili leuitate eius grauitas maculetur. 6.

Leuitas enim morum numquam reperitur in Sacerdote deuoto. 16.

Et ideo tenetur ioca etiam honesta vitare. 17.

Debira quippe seueritas & in pace, & in bello necessaria est. 8.

Tum etiam religiosa quaedam simplicitas, & familiaritas quae tamen sine contemptu sit, & grauitas quaedam verecunda, sed sine austeritate. 9. 10. 14. 15.

Seueritatem etiam circa feminas tenere debet. 18.

Et cunctis esse benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus aequus. 23.

Lingua debet esse menti subdita, & verborum leuitas vitanda, scurilitas, & risus petulantia. 24. 25. 27.

In locutione tria seruanda. 26.

Sacerdotes separati ab omni turba vitam agant, ex Platone. 28.

**S**A CERDOS, super cuius caput fufum est vnctio- nis oleum, & cuius manus in Sacerdotio consecratae sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discooperiet, vestimenta non scindet. *Leu. 21.* Hae erant olim indicia erumpentis, affectus, & rationis habenas non patientis, quae à Sacerdotali grauitate longe abesse debent.

- 2 Ingressus post Oziam Azarias Sacerdos, & cum eo Sacerdotes Domini octoginta, viri fortissimi, restiterunt regi, atque dixerunt: non est tui officii Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, qui consecrati sunt ad huiuscemodi ministerium: egredere de sanctuario: ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo. Iratusque Ozias, & tenens in manu thuribulum vt adoleret incensum, minabatur Sacerdotibus. Statimq; orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus in domo Domini: & festinato expulerunt eum. 2. Paralip. 26.
- 3 Si habes brachium sicut Deus, & si voce similitonas, circumda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus. Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & conteres impios in loco suo, &c. Iob. 40.
- 4 Nemo adolescentiam tuam contemnat: sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in caritate, in fide, in castitate. 1. Tim. 4.
- 5 In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, &c. Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat. Tit. 2.
- Grauitas Sacerdotalis puerili leuitate non minuenda.
- 6 SENES sunt Sacerdotes, quorum officium, quia grauitate magnæ honestatis impenditur, à religionis

nis pondere nulla puerili leuitate vacuatur. *S. Gregor. super. l. 1. Reg. cap. 2.*

### Grauitas Sacerdotali dignitati congruit.

**S**OBRIAM à turbis grauitatem, ac seriosam vitam, & singulare pondus conuersationis dignitas sibi vindicat Sacerdotalis. Quo modo enim potest in exemplum seruari à populo, qui nihil habet discretum à populo? nihil dispar in moribus à multitudine? Quid enim in te miretur, si omnia tua facta bona in temetipso recognoscat existere? si nihil in te aspiciat, quod ultra se inueniat? si ea, quæ in se erubescit, in te, quem reuerendum arbitratur, ostendat? *S. Bonau. in Phar. l. 1. c. 20. ex S. Ambrosio ep. 6. S. Leo Epistola 47. 34. q. 3. c. illud.*

### Debita seueritas & in pace, & in bello necessaria.

**Q**UID magis aut in pace tam aptum, aut in bellis persecutionum tam necessarium, quam debitam seueritatem diuini vigoris ostendere? Quæ qui dimiserit, instabili rerum cursu erret semper necesse est, & huc atque illuc variis, & incertis negotiorum tempestatibus dissipetur; & quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo, nauim salutis Ecclesiasticæ illidat in scopulo; vt appareat, non aliter saluti Ecclesiasticæ consuli posse, nisi qui & contra ipsam faciunt, quasi quidam aduersi fluctus, repellantur, & disciplinæ ipsius semper custodita ratio quasi salutare aliquod gubernaculum in tempestate seruetur. *S. Cyp. l. 2. ep. 7.*

Seueritas seruanda sine austeritate, & familiaritas sine contemptu.

- 9 ESTO grauis: sed non austerus, non dissolutus, neque seuerus; sed interea mediocritatem tene, vt neq; de seueritate sis oneri, neque de familiaritate contemptui. *S. Bernardus de consideratione l. 4. S. Gregor. Moral. lib. 20. c. 3.*

De eodem.

- 10 SI interdum seueritate opus est, paterna sit, non tyrannica: matres vos fouendo, patres corripiendo exhibeatis. *Idem S. Bernardus super Cant. serm. 21. Inf. §. seq. cap. Erudimini, n. 14.*

Sacerdos, velut ex Regia potestate & grauitate, reprimere debet vitia.

- 11 AVRO & hiacyntho purpura permiscetur, vt videlicet Sacerdotale cor, cum summa, quæ prædicat, sperat, in semetipso suggestiones vitiorum reprimat, eisque velut ex Regia potestate contradicat: quatenus nobilitatem semper intimæ regenerationis aspiciat, & cælestis Regni sibi habitum moribus defendat. *S. Gregor. p. 2. Pastor. c. 3. Vide inf. c. 7. §. 1. de doctrina in sacerdotis habitu, n. 28. & à c. Sacerdotes pro populorum. n. 61. cum. seqq.*

De eodem.

- 12 VIDE, ne te facilem, ac lenem cupiditates inueniant, ne mox negligentiam tuam dolor occupet, assuescasque tum peccare, tum resipiscere. Ab initio potius grauis, ac seuerus esto aduersus omnem

nem



nem cupiditatis titillationem, & ne assuefcas in bello inferior esse. *S. Ephraim cap. de exercitatione.*

## De eodem.

SI voluptatis alicuius imaginem animo conce- 13  
peris, moderare tibi, ne ab ea mouearis; sed & rem  
examina, & tibi ipse deliberandi præbe spatium.  
deinde vtriusq; temporis memento, tum eis, quo  
voluptate perfrueris, tum eius, quo percepta iam  
voluptate dolebis, teq; ipse obiurgabis, atq; his il-  
la confer, si abstinueris, fore, vt gaudeas, teq; ipse  
collaudes. Quod si tibi suscipiendæ rei videbitur  
esse tempus, caue, ne te vincant eius blanditiæ, &  
suauitates, & illecebræ; sed illud oppone, quanto  
præstantior sit talis victoriæ conscientia. *Epictetus  
in Enchiridio c. 56.*

Omnibus nobis nulla virtus magis neces-  
saria est, quam simplicitas religiosa, &  
grauitas verecunda.

*S. Bernardus de ord. vitæ, & serm. 86.*

14

Humilem, sed minime seruilem, ac rem  
quoque ac vehementem esse conuenit  
Sacerdotem.

*S. Chrysof. l. 3. de Sacerdotio.*

15

Morum leuitas potest aliquando esse in  
bono ad horam, sed in deuoto num-  
quam, dummodo sit deuotus.

*S. Bonau. de processu religionis 5. c. 9.*

16

X 5

Ioca

## Ioca etiam honesta vitanda Sacerdoti.

- 17 LICET interdum honesta ioca, ac suauia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula: quoniam, quæ in Scripturis sanctis non reperimus, ea quemadmodum vsurpare possumus? *S. Ambrosius de off. l. 1. c. 23. S. Basilius in admonitione ad filium spiritualem.*

## Seueritas tenenda circa feminas.

- 18 SEVERITAS in vobis circa feminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, grauitas veneretur. *S. Cyprianus de singul. clericorum, si tamen tractatus ille S. Cypriani est, De hoc vide inf. Laicus p. 3. c. 12. ne sit fornicarius.*

## Seueritas tenenda circa eos, qui religione abhorrent, &amp; voluptatibus indulgent.

- 19 IN eos, qui à religione abhorrent, & voluptatibus indulgent, ita seueri, ac tristes esse debemus, vt prudentiam, & modestiam, & pacem retineamus. *S. Ephraëm c. de castitate.*

## De Seueritate, &amp; Grauitate S. Ambrosij aduersus Theodosium Imperatorem.

- 20 AB Eugenij cæde, Theodosius Mediolanum ingressus, orationis gratia se in Ecclesiam conferebat. Cumq; proxime foribus assisteret, ecce Imperatori obuius fit Ambrosius ciuitatis Episcopus, mediaq; in plebe arrepto eius purpureo amiculo: Siste gradum, ait: viro enim peccati squalore contaminato, manusq; habenti præter tenorem

rem

rem iustitiæ cruentas, non fas eum sine præuia pœnitentia vel limen ingredi sacrae ædis, aut mysteriorum Dei fieri participem. Admiratus Imperator Sacerdotis libertatem, conscius sibi, ac proinde mæstus, & commissorum pœnitentia interpunctus, in Regiam reuersus est. *Sozomenus tomo 7. c. 24. Tripart. l. 9. c. 30. Nicephorus l. 12. c. 41.*

**De Seueritate, & Grauitate S. Thomæ Cantuariensis aduersus Henricum Angliæ Regem,**

CVM Henricus, Angliæ Rex, coacta Synodo 21  
prouincialium Episcoporum, leges ferret vtilitati, ac dignitati Ecclesiæ repugnantes, adeo constanter obstitit Regiæ cupiditati, vt neque pollicitationibus, neque terroribus à sententia decederet: ac propterea sæpius Rex conqueretur, se cum vno Sacerdote in suo Regno pacem habere non posse. *Ioannes Episcopus Carnotensis in eius vita.*

**Nemini sit Sacerdos multum familiaris.**

NEMINI te multum familiarem exhibeas; quia 22  
nimia familiaritas parit contemptum, & subtractionis ab studio materiam subministrat, &c. *S. Thom. opusc. 68. quod vide.*

**Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus.**

*S. Bernardus de honestate vitæ, doctrina 2.* 23

**Lingua sit menti subdita.**

Iugū sit verbis tuis, & statera, hoc est, humilitas, 24  
atque

atque mensura, vt lingua tua menti sit subdita; restringatur habenæ vinculis, frenos habeat suos, quibus reuocari possit; ad mensuram sermones proferat libra examinatos iustitiæ; vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus. *S. Ambros. l. 1. de off. c. 3. & optime c. 22. S. Isidorus in Synonimis, de mensura in verbo.*

**Leuitas verborum vitanda.**

- 25 **VERBA** otiosa vndecumq; sint semper fuge: licet enim grande peccatum non putetur esse, tamen eorum consuetudo graue generat detrimentum spiritualium profectuum. Et sæpe, dum quasi licenter relaxamus linguam in verba otiosa, dum non auertimus, paulatim dilabimur ad nociua. Ex quibus oriuntur quandoq; turbationes, dissolutiones, & graues conscientiaë corrosiones. *S. Bonau. de triplici statu religiosorum, p. 1. c. 27.*

**Tria in locutione seruanda, vnde quatuor commoda proueniunt.**

- 26 *Vide inf. c. 8. §. 5. de silentio. In locutione tria, n. 22. Quæ locutio qualis esse debeat, vide S. Ambrosium de officiis lib. 1. c. 22.*

**Sacerdos prosequatur odio scurrilitatem, & risus petulantiam.**

- 27 **CVM** Sacerdos gregis forma, & Ecclesiæ lumen dictus sit, ac reuera sit, subditus, vt cera sigillo, sic ipsius moribus imprimi, necesse est. Quocirca, si lumen esse vis, scurrilitatem, ac risus petulantiam odio insectare, ne alioqui multos petulantiam, ac proca-

procacitatem doceas. Sacerdos enim Domini omnipotentis Angelus est; Angelus autem risum nescit, Deo cum metu ac pauore ministrans. *S. Isidorus Pelusiota l. 1. ep. 319. S. Basilius in admonitione ad filium spiritualem.*

Sacerdotes separati ab omni turba vitam agant.

*Plato in Timæo.*

28

## De Suauitate in verbis, & Benignitate Sacerdotum.

### §. III.

#### SUMMARIUM.



**V**ERBUM dulce frangit iram, multiplicat amicos, mitigat inimicos, sermo durus suscitatur furorem. 1. 3.

Quia plus sepe placet, quam donum; quod quidem non aestimatur cum contumelia collatum. 4. 22.

Vtilissimum est, & sapientis viri, affabilem se exhibere omnibus, sed sine adulatione. 2. 18.

Qui dare non potest, saltem sit affabilis. 19.

Hilaritas vultus semper exhibenda est ijs, quibus cum loquimur. 20. 21.

Etiam infidelibus. 38.

Quia multa regna labefactauit verborum tumor, seruuu affabilis. 39.

*Arma*

*Arma natua hominis sunt benignitas, beneficentia, & sapientia. 10. 11.*

*Et ideo homo ab homine timeri non debet. 12.*

*Sed infirmis se quisq; accommodare, vt eos lucrifaciat. 6. 9. 32. 33. 34.*

*Delinquentemq; corripere in spiritu lenitatis, propria fragilitatis memor. 7. 39.*

*Qui enim alios inclementer condemnat, certissimum est, iisdem vitiis subiacere. 41.*

*Nec esse perfectum, qui ad aliorum imperfectionem impatient. 42.*

*Ideo debet esse circa se austerus, circa alios benignus. 43. Et iudicium exercere sine amaritudine, nihil potestati tribuens, sed totum aequitati. 7. 9. 44.*

*Et iniurias proprias condonare exemplo Christi. 8.*

*Plus amari desiderans, quam timeri. 14. 15. 16. 17. 30.*

*Plus enim agit erga corrigendos beneuolentia, quam austeritas, & ideo à leuioribus medicamentis incipere debet. 26. 27. 28. 29. 30.*

*Captare tamen populi beneuolentiam non debet, vt sibi exhibeatur, sed Deo. 40.*

*Et ex benignitate, & seueritate facere quoddam temperamentum. 23. 24. 25. 26.*

*Nam in suo pectore debent esse Virga, & Manna, sicut in arca Tabernaculi. 14.*

*Sicut autem Sacerdos est Pater nomine, ita etiam sit & opere. 14. 35. 36.*

*Et matri similis. 14. 37.*

*Aecclesia quare Columba dicta. 29.*

RESPON-

**R**ESPONSIO mollis frangit iram, sermo durus  
suscitat furorem. *Pro. 15. 1. Reg. 25. 2. Reg. 10.*

Congregationi pauperum affabilem te facito, 2  
&c. Sapiens in verbis seipsum affabilem facit. *Eccl. 4.*

Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat 3  
inimicos: & lingua eucharis (idest gratiosa) in bo-  
no homine abundat. *Eccl. 6.*

Fili in bonis non des querelam, & in omni da- 4  
to non des tristitiam verbi mali. Nonne ardorem  
refrigerabit ros? sic & verbum melius quam da-  
tum. *Eccl. 18.*

Vos autem cum austeritate imperabatis eis, & 5  
cum potentia. Et dispersę sunt oves meę, dicit Do-  
minus. *Ezech. 34.*

Conuertistis in amaritudinem iudicium, & fru- 6  
ctum iustitię in absinthium. *Amos. 6.*

Factus sum infirmis infirmus, vt infirmos lu- 7  
crifacerem. *1. Cor. 9.*

Fratres, & si præoccupatus fuerit homo in ali- 8  
quo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi  
instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum,  
ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate, & sic  
adimplebitis legem Christi. *Gal. 6.*

Supportantes inuicem, & donantes vobismet 9  
ipsis, si quis aduersus alterum habet querelam: si-  
cut & Dominus donauit vobis, ita & vos. *Coloss. 3.*

Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes 10  
non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque  
turpis lucri gratia, sed voluntarie; neq; vt dominā-  
tes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. *1. Pet. 5*

Arma

Arma natiua hominis, benignitas, & sapientia.

- 11 DEVS, qui cæteris animalibus sapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incurfisibus & periculis tutiora generauit: hominem vero, quia nudum, fragilemque formauit, vt eum sapientia potius instrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum, vt homo hominem tueatur, diligat, foueat, contraq; omnia pericula & accipiat, & præstet auxilium. Summum igitur inter se hominum vinculum est humanitatis, quod qui diripit, nefarius, & parricida existimandus est, &c. *Lactantius Firmianus lib. 6. diuinarum institutionum, cap. 10.*

De eodem: quodque peculiaria sint homini benignitas, & beneficentia.

- 12 NATVRÆ nostræ nihil est tam peculiare, quam mutua inter nos communicatio, mutuaque aliorum operæ indigentia, & in eosdem, qui eiusdem sunt nobiscum generis, caritas. *S. Basilus in reg. fus. respons. 3. & Oratione 1. de amore erga Deum, & proximum.*

Homo ab homine timeri non debet.

- 13 CVM Noë Dominus filiisque eius benediceret *Gen. 9.* dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete terram protinus adiunxit: Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animantia terræ. Quorum videlicet terror, ac tremor, quia esse super animantia terræ præcipitur, profecto esse super homines prohibe-



hibetur. Homo quippe brutis animalibus, non autem hominibus cæteris, natura prælatus est: & ideo ei dicitur, vt ab animalibus, & non ab hominibus timeatur, quia contra naturam superbire, est ab æquali velle timeri. *S. Gregor. in Pastoralis, p. 2. c. 6. Moral. l. 21. c. 10.*

**Virga & Manna debent esse in pectore Sacerdotis sicut in arca tabernaculi.**

IVXTA Pauli vocem, in arca tabernaculi cum tabulis Virga simul, & Manna est: quia scripturæ sacræ scientia in boni doctoris pectore, sicut est Virga districtiōnis, sic est & Manna dulcedinis. *S. Bonau. l. 4. Phætræ c. 45. ex S. Gregor. Moral. l. 20. c. 8. dist. 45. c. disciplina. De Virga, & Baculo vide Concil. Aquisgran. c. 134.*

**Sacerdos plus studeat amari, quam metui.**

ERVDIMINI, qui iudicatis terram. Discite, subditorum matres vos esse debere, non dominos. *Psal. 2.* studete magis amari, quam metui. Et, si interdum seueritate opus est, paterna sit, non tyrannica. Matres vos fouendo, patres corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatē, suspendite verbera, producite verba, pectora lacte pinguescant, non typho turgeant. Quid iugum vestrū super eos aggrauatis, quorum potius onera portare debetis? Cur morsus à serpente paruulus fugit conscientiam Sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat, tamquam ad sinum recurrisset matris? &c. *S. Bernard.*

*nard. super. Cant. serm. 25. S. Gregor. in Pastor. p. 2. c. 5.  
S. Ambros. de off. l. 2. c. 7.*

## De eodem.

- 16 TALEM te redde subditis, vt magis ameris, quā timearis. Reuerentia enim ex amore procedit, odium vero timor efficit. *S. Isidorus in Synonimis. S. Bonauen. de sex alis Seraphim. c. 6. & 7.*

## De eodem.

- 17 A SVBDITIS magis venerari, quam timeri stude, vt tibi plus dilectionis officio, quam contradictionis necessitate adhæreant, subiecti te plus reuerentur, quam timeant: ex reuerentia enim amor procedit, & odium tremor confert, fidem metus tollit, affectus restituit. Timor non seruat diuturnam fidem. Vbi timor audet, cum sequitur rubor; vbi timor, audentia sequitur; & vbi metus, desperatio occurrit. Quapropter tempera oris sementem, summaq; bonitate subditos conuenit regere. Non sis terribilis in subditis, sed sic dominare vt tibi delectentur seruire. *Idem S. Isidorus in norma viuendi, c. 12.*

## De eodem.

- 18 NIHIL tam vtile, quam diligere; nihil tam inutile, quam non amari: nam, odio haberi exitiale, ac nimis capitale arbitror. Itaque id agamus, vt omni sedulitate commendemus existimationem opinionemq; morum, ac primum placiditate mentis, & animi benignitate influamus in affectum hominum:

minum: popularis enim, & grata est omnibus bonitas, nihilque, quod tam facile illabatur humanis sensibus. Ea, si mansuetudine morum, ac facilitate animi, moderatione præcepti, & affabilitate sermonis, verborumq; honore, patienti quoque sermonum vice, modestiæq; adiuuetur gratia, incredibile quantum procedit ad cumulum dilectionis. Legimus, &c. *vt inf. n. 30. s. Ambrosius de off. l. 2. c. 7.*

**Affabilitas valet plurimum, sed quæ sine adulatione.**

AFFABILITAS sermonis ad conciliandam gratiam valet plurimum: sed hanc volumus esse sinceram, ac sobriam, sine vlla adulatione, ne simplicitatem, ac puritatem alloquij dedeceat sermonis adulatio, &c. *Idem s. Ambrosius ibidem, c. 19.*

**Qui dare non potest, saltem sit affabilis.**

SI potes, da; si non potes, affabilem te fac. *Com- 20*  
ronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat: Non habeo: caritas non de sacculo erogatur. *s. August. super Psal. 103. s. Gregor. Moral. l. 21. c. 14.*

**Hilaritas vultus semper exhibenda iis, quibus cum loquimur.**

CVM quid locuturus es, ea ex ore tuo semper *21*  
verba præsiliant, quibus & proximum consolentis, & caritatem erga illum tuam magis confirmes. Eadem ratio in medio, eadem in postremo,

qui habeatur, sermone seruetur: idque adhibita quadam festiua oris hilaritate, vt, qui tecum loquatur, per te exhilarari se sentiat. *S. Basilius ser. de abdicatione seculi.* In congressionibus facile, in colloquiis vero dulcē te præbe; ne vrbani- tatem captes, sed cohortatio suauitate, & benignitate condiatur, repulsa omni loco asperitate. Nam, si te prius ipse humanum exhibueris, facile ferre te poterit is qui curatione opus habet. *Idem Basilius oratione 6. de institutione, & admonitione.*

**Nullus à te tristitiam habeat, nemo à te confusus abscedat.**

22 *S. Bernardus de modo bene viuendi, serm. 14.*

**Non æstimatur donum cum contumelia collatum.**

23 **NESCIO** quo pacto fit, vt is, quem contumelia affeceris, non sentiat pecuniarū acceptarum subsidium ob inflictam contumeliæ plagam; & quem contra blande atque humaniter appellaueris, quique donum aliquod vna cum sui consolatione à te acceperit, exultat magnopere, ac lætatur. Tum vero donum ipsum donantis vultus gestusq; con- duplicat. *S. Chrysost. l. 3. de Sacerdotio.*

**Grauis debet esse Sacerdos, sed cum comitate, & humanitate.**

24 **GRAVEM** Sacerdotem, sed minime fastuosum; terrificum, sed humanum; visenda maiestate  
Prin-

Principem, sed omnibus tamen appellandis comem, eundemque integrum, officiosum. *Idem S. Chrysoft. ibidem.*

### Ex benignitate & seueritate faciendum temperamentum.

SVNT nonnulli ita districti, vt etiam omnem <sup>25</sup> mansuetudinē benignitatis amittant; & sunt nonnulli ita mansueti, vt perdant districti iura regiminis. Vnde cunctis rectoribus sunt vtraque tenenda, vt nec in disciplinē vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursus in mansuetudine districtiōnem deserant disciplinæ; quatenus nec à compassionē pietatis obdurescant, cum contumacem corrigunt, ne disciplinæ vigorem molliant, cum infirmorum animos consolantur. Regat ergo vigor disciplinæ mansuetudinem, & mansuetudo ornet sermone vigorem: & sic alterum commendetur ex altero; & nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta, *S. Gregor. dist. 45. c. sunt namque. & c. disciplina. & in Pastoral. p. 2. c. 6. Inf. §. proximo, cap. Talis esse debet, n. 14.*

### De eodem.

IDCIRCO Spiritus sanctus in columba, & igne <sup>26</sup> monstratur, quia videlicet omnes, quos implet, & columbæ simplicitate mansuetos, & igne zeli ardentem exhibet. Nequaquam ergo sancto Spiritu plenus est, qui aut in tranquillitate mansuetudinis feruorem emulationis deserit, aut rursus in emulatione

lationis ardore virtutem mansuetudinis amittit.  
*Idem S. Gregor. p. 3. Pastoral. admonitione 17.*

De eodem, quodq; plus agat beneuolentia, quam austeritas erga corrigendos; & à leuioribus medicamentis incipiendum.

26 *2. Ti. 4.* SI quid per humanam fragilitatem subditos peccare contigerit, illa Apostoli Sacerdotibus suis est obseruanda præceptio, vt illos arguant, obsecrent in omni bonitate, & paciëntia. Cum sæpe plus erga corrigendos agat beneuolentia, quam austeritas; plus exhortatio, quam comminatio; plus caritas, quam potestas. Si autem ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate seueritas adhibenda est; vt sine asperitate disciplina populis salutaris, ac necessaria conseruetur; & qui correcti fuerint, emendentur, aut, si resipiscere noluerint, cæteri salubri in eos animaduersionis exemplo à vitiis deterreantur. cum sit diligentis, pij simul pastoris officium, morbis ouium lenia primū adhibere fomenta; post, vbi morbi grauitas ita postulet, ad acriora, & grauiora remedia descēdere, &c. *Concil. Trid. sess. 13. c. 1. de reform. S. Chrys. de sac. l. 2. S. Hieron ep. 2. ad Nepotian. dist. 95. c. esto subiectus, & per totam dist. S. Greg. dist. 45. c. licet nonnumquam.*  
 De eodem, ex traditione baculi pastoralis consecrato in Episcopum.

27 ACCIPE baculum pastoralis officij, vt sis in corrigenden-

rigendis vitiis pie sæuiens, iudiciū sine ira tenens,  
in vouendis virtutibus auditorum animos demul-  
cens, in tranquillitate seueritatis censuram non  
deserens. *Pontificale Rom. in consecratione Episcopi.*

## De eodem.

EQVOS indomitos blanda prius manu tangi- 28  
mus, vt eos nobis plenius, postmodum etiam per  
flagella subigamus: & amaro pigmentorum po-  
culo mellis dulcedo adiungitur, vt ea, quæ saluti  
profutura est, in ipso gustu aspera amaritudo sen-  
tiatur; & dum gustus per dulcedinem fallitur, hu-  
mor mortiferus per amaritudinem vacuetur. S.  
*Gregor. Pastor. p. 3. admonitione 18.*

## De eodem.

LEVITER castigatus reuerentiam exhibet ca- 29  
stiganti: asperitatis autem nimix increpatio nec  
correctionem recipit, nec salutem. *Concil. Brachar.*  
*3. c. 6. dist. 45. c. cum beatus. S. Bernardus de modo bene*  
*viuendi, serm. 18. ex S. Ambros. de off. l. 1. c. 32. S. Pro-*  
*ssper de vita contempl. l. 2. c. 1. & 3.*

## De eodem.

MEMINISSE oportet rectores, quia Columba 30  
est in diuinis scripturis Ecclesia appellata, quæ non  
vnguibus lacerat, sed alis pie percutit. *Conc. Aquis-*  
*gran. c. 134.*

## De eodem, exemplo Dauidis, &amp; Mosis.

LEGIMVS, non solum in priuatis, sed etiã in Re- 31  
gibus quantum facilitas blandæ affabilitatis pro-  
fecerit;

fecerit; aut superbia, verborumq; obfuerit tumor vt regna ipsa labefactaret, & potestatem solueret &c. Ideo Dauid non cecidit, quia charus fuit omnibus, & diligi à subiectis, quam timeri, maluit. Timor enim temporalis tutaminis seruat excubias, nescit diuturnitatis custodiam, &c. *S. Ambrosius de off. l. 2. c. 7. S. Bernardus serm. 23. super Cant. S. Gregor. Pastoral. p. 2. c. 5. S. Isidorus in Synonymis, & in norma viuendi, c. 12. & 16. Vide inf. p. 3. c. II. ne sit iracundus, n. 5. est quædam.*

## De eodem.

- 32 SI quorum forte sunt vitia, hæc maturis obiurationibus increpate, vt ipsa quoque Sacerdotalis indignatio virtute sit admixta dulcedinis: quatenus & tunc à subiectis amari debeat, etiam cum grauiter timeretur. *Idem S. Gregor. l. 3. ep. 1. l. 9. indictione 4. ep. 8.*

## Sacerdos se inferioribus accommodare debet.

- 33 NIHIL tam onerosum in ordine Sacerdotum video, quam rigorem mentis compatiendo flectere, & cum personis superuenientibus animum mutare: & tamen hoc valde est necessarium. Nam, quando ex prædicatione eius ad boni operis gratiam peccator reducitur, si ipse prædicator videatur ingratus? &c. Crassiora ergo vestimenta Sacerdos exiens ante populum induat, vt mentis suæ habitum pro vtilitate filiorum etiam ad terrena toleranda componat. Pensate ergo, fratres



fratres charissimi, quantus speculatori labor sit, & ad sublimia cor tendere, & hoc repente ad ima reuocare, & in sublimitate cognitionis intimæ extenuare animum, & propter exteriores causas proximorum, vt ita dicam, subito in cogitatione crassescere. *S. Gregorius hom. 11. super Ezechielem, & lib. 19. Moral. cap. 14. S. Cyrius Alex. in Leu. c. 4. Ven. Beda super Leu. c. 10. Vide infra, c. 7. de doctrina. num. 99. c. hoc sane. dist. 88. c. decreuit.*

## De eodem.

IACOB de super, innitente Domino, & vncto 34  
deorsum lapide, ascendentes Angelos, & descen- *Gen. 28.*  
dentes vidit: quia scilicet prædicatores sancti non solum sursum sanctum caput Ecclesiæ, videlicet Dominum, contemplando appetunt, sed deorsum quoque ad membra illius miserando descendunt. Hinc Moses crebro tabernaculum intrat, & exit; &, qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis vrgetur. Intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium portat. *S. Gregor. Pastoral. p. 2. c. 5.*

## De eodem.

Sacerdotis nauem. *Vt inf. cap. 9. §. 2. de oneribus, 35 n. 20.*

Sacerdos sicut est Pater nomine, sit etiam & opere.

Si Sacerdotale, quod administramus, officium 36  
Y 5 mentis

mentis integritate pensemus, sic nos cum filiis nostris debet vnire concordia, vt, sicut Patres in nomine, ita affectu probemur in opere. *S. Gregor. super l. i. Reg. c. 34.*

Falso nominatur Pater, qui filiis mærentibus non condoleat & gaudentibus non colleteretur.

37 AFFLICTIONIS participem & socium sume Sacerdotem, vt patrem. Quis enim tam falso nominetur Pater, aut tam duro atque adamantino animo præditus est, qui non filiis mærentibus doleat, & gaudentibus lætetur? Sacerdos ita tristatur ob peccatum illius, quem propter religionem habet loco filij, vt Iacob visa tunica Ioseph sanguine cōspersa querebatur; vt Dauid luxit Absolonis interitum; vt Heli Ophain, & Phineen, qui in acie ceciderunt; vt Moses impium populum, qui rerū nouarum studiosus vitulum sibi conflauerat. *S. Gregor. Nyssenus in eos, qui in alios iudicant durius.*

Sacerdos sit matri similis, vt ad eum subditus afflictus confidenter recurrat.

38 TALES sese qui præfunt exhibeant, quibus subiecti occulta quoque sua proderere non erubescant, vt, cum tentationum fluctus paruuli tolerant, ad Sacerdotis mentem, quasi ad matris sinum, recurrant; & hoc, quod se inquinari pulsantis culpæ sordibus præuident, exhortationis eius solatio, ac lacrymis orationis lauent. *S. Gregor. Pastor. p. 2. c. 5. S. Bernardus super Cant. serm. 23.*

Infideli-

### In fidelibus quoq; benignitas exhibenda.

Eos, qui à religione Christiana discordant, 39  
mansuetudine, benignitate, admonendo, suaden-  
do, ad vnitatem fidei necesse est congregare; ne,  
quos dulcedo prædicationis, & prætenus futuri  
iudicij terror ad credendum inuitare poterat, mi-  
nis, & terroribus repellantur. Oportet ergo ma-  
gis, vt ad audiendum de vobis verbum Dei beni-  
gne conueniant, quam austeritatem, quæ supra  
modum extenditur, expauescant. *Idem. S. Gregorius*  
*l. I. ep. 34. & 45. l. II. ep. 15.*

### Sacerdos sit erga alios benignus, propriæ fragilitatis memor.

PRIVATORVM casus commiseretur Sacerdos, 40  
memineritque, se, quamuis dignitate præstet iis,  
quos gubernat ac regit, naturam tamen eandem  
habere, ideoq; posse aliquando fortasse in eosdem  
errores incidere, &c. Noli esse tam facilis ad am-  
putandum, ad excindendum Sacerdos, qui Do-  
minum, ne id faciat, debes obsecrare: neque tam  
celeriter desperandum existima. Diligentiam ad-  
hibeto, reprehensionibus circumfodito, cohor-  
tationibus foueto, tamquam sinu, documentorū  
quasi aquarum copia irrigato, præceptis, vt vallo,  
communito. Tuum est, placare Iudicis animum:  
Mosis curam, Sacerdos, & sollicitudinem imitare,  
&c. *S. Gregorius Nyssen, in eos, qui alios durius iudi-  
cant.*

Sacer-

Sacerdos hominibus placere curet, non  
vt ipse diligatur, sed Deus.

- 41 NON OPORTET, vt rectores boni placere hominibus appetant, sed vt suæ æstimationis dulcedine proximos in affectum veritatis trahant; non vt se amari desiderent, sed vt dilectionem suam quasi quandam viam faciant, per quam corda audientiũ ad amorem Conditoris sui introducant. *s. Gregorius Pastor. p. 2. cap. 8. s. Basilius de vera virginitate.*

Qui alium inclementer condemnat, certissimum est iisdem vitis subiacere.

- 42 EVIDENS iudicium est animæ nec dum vitiorum facibus eliquatæ, in alienis criminibus non affectu misericordiæ condolare, sed rigidam iudicantis tenere censuram, &c. Ideoque iisdem vitis subiacere certissimum est, quæ in alio inclementi atque inhumana seueritate condemnat. *Cassianus coll. 11. c. 10. l. 1. c. 30. Vide optimum exemplum apud eundem coll. 2. c. 13.*

Non est perfectus qui ad imperfectionem aliorum est impatiens.

- 43 ILLE perfectus est, qui ad imperfectionem proximi impatiens non est: nam, qui, alienam imperfectionem perferre non valens, proximum deserit, ipse sibi testis est, quam perfecte nondum pro-

profecit. *S. Bonau. lib. 1. Pharetra, cap. 31. ex S. Gregor.*  
*Idem S. Bonau. de reform. mentis cri.*

**Sacerdos sit circa se austerus, circa alios  
 benignus.**

CIRCA vitam tuam esto austerus, circa aliorum 44  
 benignus. Audiant te homines parua mandan-  
 tem, & graua facientem, *S. Chrysoft. super Matth.*  
*cap. 2.*

**In causis iudicandis nihil potestati, to-  
 tum æquitati tribuatur.**

CAUSÆ, quæ per sententiam sunt decidendæ, 45  
 necesse est, vt prius studiosa & frequentissima  
 consideratione mensurentur; nihil potestati, sed  
 totum æquitati tribuatur. *S. August. lib. 12. ep. 30. S.*  
*Bernardus de consider. l. 2. Id autem qualiter agendum,*  
*scripsit eleganter Marcellus Iurisconsultus ff. de pænis.*  
*l. respiciendum.*

**Cunctis esto benignus, &c.**

*Vt sup. §. proximo, num. 23. Alia vide inf. c. 7. de do- 46*  
*ctrina. §. 1. a. cap. non licet n. 76. cum nouem seqq. C.*  
*c. 8. §. 1. de modestia, & mansue-*  
*tudine.*

*De*

*De Gestu, Risu, Incessuque, &  
exacta totius exterioris ho-  
minis Compositione.*

§. IIII,

SVMMARIVM.



**Q**CVLORVM compositio, & custodia, ne-  
cessaria. 1. 29. 30.

Maxime ad tuendam castitatem. 31. 32. 33.

Quia non decet intueri quod non licet concupisci. 32.

Et oculus impudicus impudici cordis est nuntius. 35.

Homo apostata in compositis utitur membris suis. 2.

Exterior corporis amictus, risus, & incessus, indicant  
hominem. 4. 5. 7. 8. 9. 15. 43.

Ideo sacerdos debet esse sollicitus de componendo ex-  
teriori homine in omnibus actibus suis. 12. 13.

Quia disciplina morum totum hominem componit, &  
decoratur maturitate, humilitate, & benignitate,  
& qualiter. 10. 11.

Sacerdotis seueritas, & hilaritas qualis. 14.

Qualis eius habitus, incessus, gestus, motus, sermo, con-  
uictus, & membrorum compositio. 15. 16. 17. 18.  
19. 20. 21.

Risus petulantia Sacerdoti vitanda. 22. 23.

Risus in Ecclesia Diaboli opus. 24.

Qualiter in mensa se debeat gerere Sacerdos. 36. 37. 38.

Qualiter in conuiuio. 36. 37. 38.

Qualiter in lecto, & in somno. 39.

QUA-

Qualiter loquendo. 16. 20. 29.

Qualiter disputando. 40.

Qualiter confessiones audiendo. 41.

Qualiter incedendo, vel ambulando. 9. 15. 16. 17. 18.

Qualiter sedendo. 42. 43.

Qualiter ridendo. 25. 26. 27. 28, 29.

Qualiter oscitando. 27.

Qualiter cum alio viro conuersando. 44.

Qualiter cum femina. 33. 34. 35.

Membra sui corporis corā aliquo non denudando. 45.

Lectuli eius locus, si fieri potest, nec sciatur, nec videatur. *ibidem.*

**Q**VI inclinauerit oculos, ipse saluabitur. *Iob. 1*  
22. *Eccles. 2. Tren. 2.*

Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat, &c. *Prouer. 6.*

Si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manū tuam, nec prior potcas bibere. *Eccles. 31*

Ex visu cognoscitur vir, & ab occurſu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentiū, & ingressus hominis enunciant de illo. *Eccles. 19.*

Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacite ridebit. *Eccles. 21.*

Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, &c. sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco, &c. *Luc. 14.*

Exte-

**Exterior compositio index est interioris.**

- 7 INTERIOR est custodię cordis, quę ordinata exterius seruat membra corporis. Qui ergo statum mentis perdidit, subsequenter foras in inconstantiam motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla interiori radice stabilitatis subsistat. *S. Bonau. in Pharetra ex S. Gregor. Pastor. 3. admonitione. 24.*

**De eodem.**

- 8 INCOMPOSITIO corporis, inæqualitatem indicat mentis, &c. *S. August. ep. 109. ad Monachos.*

**De eodem.**

- 9 EST in ipso motu, incessu, gestu tenenda verecundia: habitus enim mentis in corporis statu cognoscitur. Hinc homo cordis nostri absconditur, aut leuior, aut iactantior, aut turpior, aut congruior, constantior, & purior, & maturior, æstimatur. Itaque vox quædam est animi, corporis motus, &c. Nec cursim ambulare honestum arbitror, nisi cum causa exigit alicuius periculi, vel iusta necessitas, &c. Est gressus probabilis, in quo sit species auctoritatis, grauitatisque pondus, tranquillitatis vestigium; ita tamen, vt studium desit, atque affectatio, sed motus tibi sit purus, ac simplex, &c. Motum natura informet: si quid sane in natura vitij est, industria emendet, &c. *S. Ambros. de off. l. 1. cap. 18.*

Disci-



**Disciplina totum hominem componit.**

O QVAM compositum reddit omnem corporis 10  
 statum, nec non mentis habitum disciplina? cer-  
 nicem submittit, deponit supercilia, componit  
 vultum, ligat oculos, cohibet cachinnos, modera-  
 tur linguam, frenat gulam, sedat iram, format in-  
 cessum. Talibus decet pudicitiae vestem destingui  
 margaritis. *S. Bonau. in Phar. l. 4. c. 9. ex S. Bernardo,*  
*epist. 113. & in speculo disciplinae. partic. 2. c. 1. & post*  
*partic. 4. c. 2. Hugo Card. de disciplina Monachorum.*

**Disciplina morum decoratur maturita-  
 te, humilitate, & benignitate, & qua-  
 liter.**

MORVM disciplina triplici decore decoratur, 11  
 scilicet si sint maturi, humiles, & benigni. Maturi,  
 vt non sint leues ridendo, nec curiosi, aut verbosi,  
 nec ioculatores. Maturitas intus mentem com-  
 ponit, & corpus exterius ab insolentia custodit;  
 caput regit, ne leuiter hinc inde circumferatur:  
 oculos, ne euagentur; aures, ne otiose auscultent,  
 quae minus expediant; linguam refrenat ab otio-  
 sis verbis; manus ab inutilibus occupationibus;  
 pedes à vanis ambulationibus, &c. Humilitas de-  
 primit ceruicē, humile format responsum, gestus  
 complanat, vestimentum simplex amat, sese inter  
 nouissimos locat, ostentationis notam declinat,  
 singularitatem fugit, ad aliorum obsequia se agi-  
 lem facit, ad opprobria tacitum, ad honores ob-  
 latos verecundum, promptum ad discendum, dif-  
 ficilem

Z

ficilem

358      I N S T I T V T . S A C E R D O T V M  
ad indignandum. Benignitas facit affabilem, com-  
passiuum afflictis, tractabilem, exorabilem, &  
flexibilem ad consilia, communicatiuum sui, &  
suorum, in bono hilarem, & modeste iucundum,  
nullum spernentem, vel temere iudicantem, fide-  
lem, socialem, omnibus gratiosum, &c. *S. Bonau. de  
processu religionis. 5. c. 2.*

Sacerdos sit sollicitus de exteriori homi-  
ne componendo in omnibus actibus  
suis, saltem propter exemplum laico-  
rum.

- 12      SOLLICITUDO prima ad hoc tendere debet, vt  
exteriorem hominem debite componat Sacerdos  
tam in loquendo, quam comedendo, bibendo,  
ambulando, &c. quatenus, quicumq; mores ipsi-  
us consideret, & edificetur, & dicat: Ille est discipulus  
natus vir, & utilis in officio Ecclesiastico, quia  
omnes sanctam vitam in eo vident. Hæc autem  
morum compositio inter simplices, & mundana  
vitæ homines maxime est necessaria, quia facillime  
scandalizantur, quando vel parum clerici ad  
libertatē extrinsecam declinant. E contra autem  
quando vident eos mature incedere, & timorati  
conuersari in omni castitate, & sobrietate, tunc  
maxime ædificantur, & venerantur eos, &c. *Concil.  
Hildesem. in form. vii. can. c. 13.*

#### De eodem.

- 13      NIHIL est quod alios magis ad pietatem, &c.  
Quapropter sic decet omnino clericos, in sortem  
Domini vocatos, vitā, moresq; suos omnes com-  
ponere

ponere, vt habitu, gestu, incessu, alijsq; omnibus rebus, nihil, nisi graue, moderatum, ac religione plenum, præferant. *Concil. Trident. sess. 22. c. 1. de reform. & sess. 14. in proœmio.*

**Qualis esse debeat seueritas Sacerdotis.**

TALIS esse debet dispensator regiminis, vt ea **14**  
Sacerdos circa subditos mensura moderetur, quatenus & arridens timeri debeat, & iratus amari, vt eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata seueritas odiosum, &c. sed, vt Sacerdotis vultus etiam lætus debeat timeri, necesse est, vt ipse vultum sui Conditoris sine cessatione timeat, &c. *S. Greg. Moral. lib. 20. c. 3. Vide sup. S. præcedenti, à cap. Sunt nonnulli, n. 24. cum seqq.*

**Sacerdos promissionem suam & habitu, & in cessu demonstret.**

SIT in gestu tuo grauitas, in motu simplicitas, in **15**  
incessu honestas; nihil dedecoris, nihil lasciuiæ, nihil petulantia, nihil insolentia, nihil leuitatis in tuo incessu appareat. Animus enim in corporis gestu apparet, & species corporis simulacrum est mentis, figuraq; probitatis. *S. Isidor. in norma viuendi, c. 4. S. Bonau. in spec. discip. partic. 3. c. 8.*

**De eodem.**

SIT tibi grauitas in incessu, in sermone pondus, **16**  
atq; in verbis modus. *S. Bernhardus de ordine vitæ. S. Bonau. in spec. discip. partic. 3. & 6.*

**De eodem.**

IN incessu, statu, habitu, & in omnibus motibus **17**  
vestris nihil fiat, quod cuiusquã offendat aspectû,

sed quod vestram deceat sanctitatem. *S. Augustin. in regula sua., c. 17.*

**De eodem.**

- 18 **INCESSVS** tuus sit maturus, non leuiter curras & sine necessitate; nec corpus multum erectum geras, sed mediocriter depressum; nec vagus sis oculis, nec brachijs ventiles, nec aliter more secularium in composito gradu incedas, sed plano, & humili modo, quasi a deuota oratione decedas. *S. Bonau. de triplici statu religios. p. 1. c. 19.*

Incessus neque lentus, vt qui animi dissoluti sit signum, neque rursus celer, & concitatus, vt qui ipsius impetus perturbatos, ac temerarios esse demonstrat. *S. Basilius in Oration. 17. de humilitate.*

**Qualis esse debeat gestus, motus, sermo, conuictus Sacerdotis.**

- 19 **DISCIPLINA** honestæ conuersationis ex quatuor perpendi potest; ex gestu, motu, affatu, & conuictu. Gestus autē reprehensibilis est, si est aut mollis, aut dissolutus, aut tardus, aut citatus. Mollis significat lasciuiam, dissolutus negligentiam, tardus pigritiam, citatus inconstantiam. Gestus hominis in omni actu debet esse graciosus sine mollitie, quietus sine dissolutione, grauis sine tarditate, alacer sine inquietudine, maturus sine proteruia, & sine turbulentia seuerus. Temperanda est etiā facies, & modificāda in gestu suo, ita, vt nec proterue exasperetur, nec molliter dissoluatur, sed semper habeat rigidam dulcedinem, & dulcem rigorem

gorem. Ex visu cognoscitur vir, & ab occurſu fa- *Eccl. 19.*  
 ciei cognoscitur ſenſatus, &c. *Hugo Cardinalis libro*  
*de diſciplina Monachorum. S. Bonauen. in Spec. diſcip.*  
*partic. 3. c. 2. & 7.*

## De eodem.

CLERICI à vulgari vita ſecluſi non vagis ocu- 20  
 lis, non effreni lingua, aut petulanti, fluidoq; ge-  
 ſtu, tumidoque grefſu incedant; ſed pudorem, &  
 verecundiam mentis ſimplici habitu, incefſuque  
 oſtendant. Obſcœnitatem etiam verborum, ſicut  
 & operum penitus execrentur. *S. Iſidorus. diſt. 23.*  
*c. his igitur. Concil. Moguntin. de vita clericorum, c. 1.*  
*Iuo. p. 6. c. 3.*

Sanctus Ambroſius virum quendam in  
 clerum non admifit, quod geſtus eius  
 eſſet incompoſitus.

*Vide ſup. p. 1. c. 1. de ordinatione c. Miniſtris, n. 26.* 21

Riſus petulantia vitanda.

*Sup. ſ. 2. de grauitate, c. cum ſacerdos, n. 28.* 22

Sacerdos riſum neſciat.

SACERDOS Domini omnipotentis, Angelus 23  
 eſt: Angelus autem riſum neſcit, Deo cum metu, *Mal. 2.*  
 ac pauore miniſtrans. *S. Iſidorus Peluſiota l. 1. ep. 319.*

Riſus in Eccleſia diaboli opus.

*S. Chryſoſt. hom. 11. ſuper epiſtolam ad Hebræos.* 24

Riſus qualis.

RISVS tuus ſit rarus, & ſine cachinno, & benigni- 25  
 tatem magis oſtendens, quam diſſolutionem.

*S. Bonau. de triplici ſtatu religioſ. p. 1. c. 21. S. Baſilius in*

admonitione ad filium spiritualem. *S. Bonau. in Spec. di-*  
*scip. partic. 3. c. 2. § 3.*

## De eodem.

26 RISVS ne sit multus, nec ob multa, nec effusus  
*Epietetus in Enchiridio, c. 43.*

## De eodem; &amp; qualiter oscitandum.

27 CVM oscitas, caue os tuum quispiam videat  
 comprimente autem te spiritum tuum, illico per-  
 transiet, &c. Si coactus fueris ridere, risus tuus  
 dentibus careat. *S. Dorotheus doctr. 24.*

## De eodem.

28 MODICE rictum deducere, eoq; modo animi  
 sui diffusionem leuiter significare, non est contra  
 decorum, quatenus illud tantum indicetur, quod  
 scriptum est: Cor gaudens exhilarat faciem, &c.  
*Pro. 15. Basil. in reg. fus. interrog. 17.*

Qualis esse debeat lingua, oculus, & risus  
 Sacerdotis.

29 SERMO tibi in tempore sit aut serus, aut nullus  
 aspectus tuus aut officiosus, aut demissus, aut co-  
 hibitus intra se: oculus tuus sit in capite tuo: risus  
 tuus aut indicans lenitatem animi, aut prouocans  
 rarus tamen; & ipse sit quidem eductus interdum  
 effusus numquam. *S. Bernardus doctrina. 2. de boni-*  
*state vite.*

## Deiecto vultu in terrã respondendũ, nec

oculi in cuiusquam faciem infigendi.  
 30 QVOTIES tecum aliquis loquitur, aut ex aduer-  
 so in conspectu psallit, deiectio in humum vultu  
 illi

illi tu respondeto : ne forte, interim dum tu illius  
os defixis oculis intueris, suscepto ab hoste, & ma-  
lerum satore libidinis semine, corruptionis po-  
stea, ac perditionis manipulos metas. *S. Basilius ser.  
de abdicatione seculi, & sermone sequenti de Ascet.  
Numquam alicui oculum in faciem figas. S. Bernardus  
in forma honestæ vitæ.*

**Custodia oculorum ad castitatem neces-  
saria.**

PLURIMUM proficit ad custodiam castitatis cu-  
stodia oculorum. *Idem S. Bernardus de ordine vitæ.* 3

**Intueri non decet, quod non licet concu-  
pisci.**

*S. Gregor. Moral. l. 21. c. 2.*

**Oculos humi deiectos habendos inter  
loquendum cum feminis.** 32

MULIERVM congressus, quantum potes, fuge, 33  
&c. Quod si etiam, vt cum ipsis congrediaris, ne-  
cessitas aliqua te obstringat, oculos humi deie-  
ctos habe, atq; ipsas quoq; , quonam pacto spe-  
ctandum sit, doce. Cumque pauca, quæ ipsarum  
animos astringere, atq; illustrare queant, locutus  
fueris, statim auola, &c. *S. Isidor. Pelusiota l. 2. ep. 284  
quam lege. Vide inf. p. 3. c. 12. Ne sit fornicarius, cap. fu-  
gienda, n. 28. & gustanda, n. 31. & per totum.*

**Sermo brevis cum mulieribus, & rigidus  
est habendus.**

*S. Bonau. de puritate conscientia, c. 15. ex S. Augusti.* 34

Impudicus oculus, impudici cordis nuntius.

- 35 NON solum tactu, sed affectu quoq;, & aspectu appetitur, & appetit femina. Nec dicatis vos animos habere pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Et, cum se inuicē sibi, etiā tacente lingua, conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundum concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus fugit castitas ipsa de moribus. *Idem S. August. 32. q. 5. c. eod.*

Qualiter in mensa se debet gerere Sacerdos.

- 36 PAVLATIM in mensa incidas panem, & vinum moderate propina, vt, cum comedas, nec panis incisus, nec vinum in scypho sit, nec sis primus in comedendo, nec vltimus in finiendo, &c. In fine vero micas diligenter collige, quia dicit Dominus: *Ioan. 6. Colligite fragmenta, ne pereant. S. Bonauen. in regulis nouitiorum. c. 5. In Speculo discipl. part. 3. c. 4. Et partic. 4. c. 6.*

Qualiter in conuiuio.

- 37 CVM aliquid ad tuum locum peruenerit, id manu extensa modeste attinges: præterit, noli retinere: nondum appropinquauit, ne nimium appetitum tuum extende, sed expecta, donec iuxta te sit. Eodem animo ad diuitias. & magistratus affici debes, erisque Deorum conuiuio dignus. *Epi-  
Stetus*



*Eletus in Enchiridio, c. 21. Sup. c. 2. de sobrietate cap. conuiuia, n. 17. c. Nihil vilitatis, n. 18.*

**Dextera, non læua, in mensa vtendum.**

VBI, posita iam mensa, recubueris, caue, ne læua tua petulanter se iactet; neue, spreto naturæ ordine, imperium sibi in dexteram vsurpet; cessatoque potius, aut certe dexteræ modo deseruito. *S. Basilius de abdicatione sæculi.*

**Qualiter se gerere debeat Sacerdos in lecto.**

*Vide sup. c. 2. §. 4. de somno, cap. semper, n. 10. De somno autem, & de cautela in dormiendo adhibenda, vide S. Benedictum in reg. c. 22. Concil. Turon. 2. can. 15.*

**Qualiter in disputationibus.**

*Vide inf. c. 7. §. 2. de lectione, cap. in disputatione, n. 60.*

**Qualiter in confessionibus audiendis.**

*Vide sup. p. 1. c. 5. de Sacramentorum administr. cap. Sacerdos, n. 33. & inf. c. 4. §. 1. de prudentia, cap. Anchoram, n. 34.*

**Qualiter sedendo.**

INTER sedendum, caue, ne crus cruri alteri superponas, &c. *S. Basil. serm. de abdicatione sæculi.*

**De eodem.**

SEDENS, non pigre in latus reclines te, nec crura longa extendas, maxime præsentibus aliis: exterior enim incompositio corporis, est indicium indeuotæ mentis. *S. Bonau. de triplici statu religios. p. 1. c. 20.*

Z 5

Qua-

Qualiter cum aliquo viro conuersan-  
dum.

- 44 MANVM alterius nemo teneat. *Cassian.l.2.c.15.*  
4.c.16. Et, siue quis ambulauerit, siue sederit, ac-  
steterit cum aliquo, vno cubito distet ab altero  
*s.Pachomius in regula sua,c.53.*

Nedenuaueris præsente aliquo vllum  
membrorum tuorum, cum æstuas, &  
cales, &c. Vbi autem cubes, nemo  
(fieri potest) vel sciat, vel videat.

- 45 *s.Dorotheus, doctrina 24.* Cauet omnis honestus  
ne eius vnquam appareat caro nuda, nisi quantum  
compulerit necessitas manifesta, &c. *s. Bonau.*  
*spec. discip. partic. 3. c. 8.*

Vide de hoc *s. Ambrosiū de officiis l.1.c.18. s. Be-*  
*filium de abdicatione sæculi, s. Dorotheum doctr. 24.*  
*Bernardum de ordine vitæ, & ser. 86. super Cantica,*  
*inf. cod. c. 10. de bono testimonio, & s. Bonau. in*  
*regulis nouitiorum, & alibi*  
*sæpe.*